


**Programma, Quo Andreas Gothofredus Ammonius, Gymn. Carol. Rector & Phil.
Prof- ad exsequias ... Domini Johannis Becmanni, Stet. Pom. I.U. Stud. a. d. VI. Id.
Martias in aede Collegiata ad D. Mariae habendas Studiosam Gymnasii
Iuventutem invitat**

Stetini: Rhetius, 1770 [i.e. 1670]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746818173>


Druck Freier  Zugang



Ammonius, A. G.,
in J. B e c m a n n .
Stettin, 1770.

95





PROGRAMMA,

Qvo

ANDREAS GOTHOFREDUS AMMONIUS,

Gymn. CAROL. Rector & Phil. Prof.

ad exsequias

PEREXIMII, PRÆSTANTISSIMIq;

DOMINI

JOHANNIS
BECMANNI,

Stet. Pom. J. U. Stud.

a. d. vi. Id. Martias

in æde Collegiata ad D. Mariæ

habendas

STUDIOSAM GYMNASII JUVENTUTEM

invitat.

STETINI, Typis JOH. VAL. RHETII,

Regii Typographi & Bibliopolæ.

Anno cl^o l^oc CLXX.

PROGRAMMA

ANDREAS GOTTFREDUS AMMONIUS

Gymn. Carol. Rostock. Prof.


Præfatus, Facultatis

DOMINI

IOHANNIS

BECK

Secr.



in the Collegium ad D. Mariæ

STUDIOSAM GYMNASII JUVENTUTEM

STETINI, Typis J. V. A. RHEIN

Regni Typographi & Bibliopola

Anno MDCCLXXX



Vod toties monemur divinitus, ac prudentissimi semper quique; seculorum atque gentium omnium studiose sibi faciendum putarunt, mortis memoriam assidue meditari; id, si cui hominum ætati aut ordini, studiosæ potissimum Juventuti præ cæteris sedulo inculcandum videatur. Nam cæteræ quidem ætates, vel nondum percepto rerum humanarum, fallaciumque deliciarum sensu, vel degustatis plus satis hujus vitæ molestiis, mortem adeo non reformident, ut Juvenum ætas: quæ cum idem esse putetur in vita, quod ver in anno; & sua sibi specie blandiri solet, ipsa, & spes sibi proponere ampliores in posterum. Qui vero aliud à literis iter vitæ ingressi sunt, quanquam & his, nisi velint esse miseri, cogitandum est sedulo, commorandi sibi hic à natura datum esse diversorium, non habitandi locum; tamen ipsorum iis conditio, vitæque actiones, quibus occupantur, mortis memoriam facilius inculcare videntur. Milites, gens animæ prodiga, cum id sibi habeant propositum, habere certe debeant, suo periculo redimere periculum patriæ, & vel vincere, vel mori, mortem sibi nusquam non imminere facile credunt. Qui vel in evehendis vel invehendis occupantur mercibus, hos præter cætera, quæ communiter evenire possunt omnibus, incommoda, latrones ac naufragia mortis suæ immemores esse non sinunt. Nihil attinet persequi cæteros. Nulla est enim familia vel cognatio, quin aliis in ea nascentibus, aliis morientibus, augmenta vel decrementa patiens suæ quoque; mortis superstites singulos commonefaciat. De studiosis aliquando juvenibus ita judicare audiuntur aliqui, parum eos de morte videri sollicitos, præcipue, dum in literatis illis versantur emporiis, quorum frequentia

tia novas indies sodalitates, convivandiq; occasiones cupidis
subministrat: quibus sane quemadmodum multos abuti, secu-
rosq; evadere non diffitendum est; ita nec tamen deesse cre-
dimus veræ sapientiæ studiosos, qui, vel virtutum præceptis,
vel aliorum tristibus casibus moniti, suæ quoq; finem vitæ me-
ditari discant. Quod Platonem volunt, cum Philosophiam
mortis meditationem definit, ex Mose hausisse, cujus ea de
re carmen est notum ac memorabile; idem attendunt et-
iamnum divinæ sapientiæ studiosi, dignosq; se gerunt isto no-
mine, fragilitatem vitæ hominum sedulo recordati. Exstant
sane etiam scripti de tuenda studiosorum valetudine libri,
quorum breve quis statuerit compendium, temperanter vive-
re. Sed humanis semper viribus sanitatem tueri non pos-
sumus, neq; prohibere, quo minus in ipso juventutis flore, si
Dominus velit, occumbamus. Expedit tum habere longo usu
præparatum pectus, firmumq; ad caduca spernenda omnia.
Quod cum longum per præcepta iter multis habeatur, exem-
plis autem plures fere moveri soleant, commodum hic nobis
locus datus visus est, componendi exemplis fluctuantes junio-
rū animos. Nondum unus elapsus annus est, ex quo duo, quos
nostis, vestri ordinis juvenes, sua omniumq; spe & opinione,
citius, ex hac vita migrarunt. Unus quidem, cum duodecimo
abhinc mense à sicario perfossus esset in platea vesperi, de-
latus in patriam non longe post exspiravit. Alterum mense
proximò Februario febris ardens abripuit. Quid cum utroq;
animam agente coram egerimus, meminerint ii, qui adfue-
runt, ipsiq; recordabuntur, ac sæpius sibi & aliis in memori-
am revocabunt. Nolim autem id quæquam oblivisci, quod
de tristibus tentatoris Satanæ suggestionibus animadversum
est, quæ uti sint per Dei gratiam superatæ, ejus rei testes ho-
die præsto sunt. Neq; habeantur sane delira aut mentis ex-
pertia verba, sed indicium vere dolentis admisos errores
animi,

animi, aliosq; sincere amantis ac moneantis, quibus alter horum cum oppressus jaceret totius corporis doloribus, petierat cippum sibi erigi, & epigramma insculpi in hanc sententiam: Nunc demum discere, quod antea discere noluisti. Sed illi nunc quiescant beati. Unum caveamus reliqui, ne, si forte tantum temporis ad migrandum nacti non fuerimus, quantum illis divina bonitas largita est, imparati migrare jubeamur. Novum se in eam rem hodie nobis, totiqve suæ Patriæ exemplum, sistit Pereximius quondam, Præstantissimusq; DN. JOHANNES BECMA N, J. U. Studiosus, quem natum accepimus hic Stetini a. d. VI. Id. Qvintil. Anno cto loc XLVI. Patre HERMANNO, honestissimi Mercatorum Collegii Assesore & Cive integerrimo, DIETERICI Mercatoris itidem ac Cive Stetinenfis, & ANNÆ Limbeken/ ex oppido Darpen/ sito non procul Colonia Agrippinæ, filio: Matre ELISABETHA WUSSOVIA, JOANNIS, Cive ac Mercatoris, & BARBARÆ FRIDEBORNÆ, filia. His ortus parentibus cum sacrosancto baptismi ritu in fidem à DEO receptus esset, domi paternæ ad omne virtutum genus ab incunabilis est advesfactus, adhibita opera publicorum privatorumq; magistrorum. Vix attigerat annum ætatis undecimum, cum Patrem præmatura sibi morte ereptum lugeret. Mater autem nihilominus filium studiis potius literarum, quam mercaturæ delectari visum de consilio doctorum virorū porro ab Ephoris & Pædagogis domesticis informari curavit; idemq; postea Patris loco præstitit is, quicū Mater secundū inivit matrimonium, Spectatissimus, Integerrimusq; Vir, DN. JOANNES LINSINGUS, itidem honestissimi Mercatorum Collegii Assesor. Proficere igitur beatus in lingvis latina & Græca, disciplinis, quas instrumentales vocant, Philosophiæ deniq; & Theoreticæ & Practicæ partibus judicatus est, ingenuo vero adolescente dignis moribus non parum delectari. Quamobrem

obrem in spem non vanam ingressi parentes, THEODORUM, & hunc JOANNEM, filios, ambos jam beatos, approbantibus Dnn. Tutoribus miserunt Lipsiam. Nota est emporii fama, celebranturq; cives politiores, & lingua habetur cultior. Non probent aliqui fortasse, quod usu receptum est, ablegare longe gentium ex oculis filios impuberes, vel temere, vel exemplo aliorum, vel, ut idioma sermonis patrii alterum à teneris addiscant, quasi in hoc sint omnia, vel quædam sit ea res primaria, qua qui careat, beatæ vitæ terminis videatur excludi. Sed iidem neque hoc ibunt inficias, & cultiorum morum politam linguam esse indicium, & tingi nos consuetudine civium, quibuscum vivimus, in utramq; partem, perinde ut fullonem & carbonarium invicem conjunctos contubernio. Si quis apud rusticos homines & asperos natus sit atque educatus, vel plures cum iis annos vixerit, quid mirum, si rusticitatem is asperitatemq; propriam atque nativam habere videatur? Medea apud Poëtam de se ipsa queritur, quod diuturno cum barbaris convictu barbariem induerit, *Βεβαρβάρωμαι*, inquam, *χρόνῳ ἔσ' ἐν βαρβάρῳ*. Nos vero, cum & domi paternæ & in civitate patria cum præceptis, tum exemplis, morū culturæ civilitatiq; advesfactus esset, nobili isto in emporio, apto Musis non minus, quam Mercurio, exegit fere quadriennium. Ibi igitur in convictu pl. Rev. Dn. D. SCHERZERI, SS. Th. & Ebr. L. Prof. P. vivens, audivit lectiones publicas & privatas D. ALBERTI, D. SCHACHERI, D. ROMANI, Inst. Justin. P.P. & D. THOMASII; quorum prudentia non parū in studiis & Philosophicis & Juridicis adjutus est. Cum vero studio Historiarum & Juris publici præcipue delectaretur, sibiq; ad eam rem usui fore putaret, quandam peregrinationem instituere; mandato PARENTUM, quibus hoc consilium ipsis probabatur, Tutorumq; consensu anno clō Idc LXXV. cum fratre Lipsia abiit, videntq; in itinere
liberas

liberas Imperii, aliasq; Germaniæ civitates & Academias, Norimbergam, Ratisbonam, Salisburgum, Monachium, Augustam Vindelicorum, Ulmam, Tübingam, Argentoratunū. Hac quidem potissimum in civitate, & Academia ejus florentissima, statum Reip. & quæ præterea digna viderentur observatu, alterum in annum ibi subsistens, pro virili annotavit. Vixit enim cum celeberrimis ibi viris, Dn. PHILIPPO JACOBO SPENERO, SS. Theol. D. hodie pl. Rev. Minist. Mæno-Francofurtani Seniore, Dn. JOHANNE REBHAN, Comite Palat. Cæsar. Cod. & Jur. Feud. Prof. P. Dn. JOHANNE HENRICO BOECLERO, Histor. Prof. Publ. S. Cæs. Majest. & Elector. Mogunt. Consiliario, pluribusq; aliis, quorum eruditione suos profectus studiosa ibidem juvenus augere nititur. Argentina vero relicta, cum beato Fratre, de voluntate Parentum ac Tutorum, per Ducatum Lotharingiæ in Galliam profectus est, cujus urbes præcipuas, Lutetiam & Aureliam, vidit, lingvæ Gallicæ, cujus antea quoq; studiosus fuerat, idioma rectius percepturus. Perculit sub hoc tempus beate defunctum insignis calamitas. Cum enim Aurelia Lutetiam ambo fratres commeassent, Frater THEODORUS J. U. C. ardenti febre correptus ex hac vita migravit. Quantopere alter superstes, amantissimo, fidelissimoq; fratre, itineris, studiorumq; socio atqve comite ab se divulso, tamq; mature distracto, sit afflictus, judicari facile potest. Leniit tamen ipse sibi dolorem, veros primum consolationum fontes sectatus, tum, quando beati fratris exuvias more isthuc usitato pie condi curavit. Parentes, alterius filii acerbissimo funere cognito, hunc ad levandam doloris partem ad se domum revocarunt. Parisiis igitur per Burgundiam rediit Argentinam, inde, Francofurto ad Mœnum, Moguntia, Colonia, aliisq; urbibus perlustratis, in Bataviam se contulit, ejusq; præcipuum emporium Amstelodamum invisit; unde
in

in patriam denique reversus est anno abhinc altero. Gauderant primum parentes incolumem redepti filium, & hic de salvis sibi parentibus, amicisq; repertis gratulabatur: Sed, ut sunt humanæ res omnes incertæ, ita neque hoc gaudium fuit diuturnum. Paulo enim post cachexia seu malus corporis habitus in eo animadversus est, cum vel alimenta in ventriculo, vel chylus in hepate corruptus in succum atqve sanguinem non verterentur. Frustrata igitur facultate ^{θεραπευτικῆ} enata est febris hæctica lenta, quæ carne sensim absumpta universo corpori summam induxit maciem: Phthisis deniq; seu tabes secuta est cum exulceratione pulmonis, ob cuius continuum motum hoc genus contabescentiæ curatu est difficillimum. Humido radicali absumto, accesserunt symptomata gravia, tussis continua, quæ nocte dieq; sordidum ac foedum pus non sine dolore ejecit, difficilis respiratio, noctes insomnes, animi deliquia. Adhibita utiq; sunt varia de consilio Medicorum remedia, & ex fonte Pharmaceutico & Diætetico; quæ nonnunquam spem convalescendi afferre visa sunt. Sed morbo hoc Chronico redeunte, & exhaustis tandem viribus, placide exhalavit animam, quam piis precibus, suspiriisq; DEO semper commendaverat, finemq; vivendi hic fecit a. d. v. Kal. Martii, ætatis anno quarto & vicesimo. DEUS beatæ animæ de perenni felicitate prospexit. Nos, ut eo ordine, quo idem jusserit, felices sequamur, quod ante monebamus ex divino carmine, rogemus DEum, ipse nos doceat, moriendum esse nobis, ut evadamus sapientes. Tu vero, Studiosa Juventus, exsequias hodie nobiscum ibis decenti frequentia, tui nominis ac partium & hic & alias ubiq; non immemor futura. V.


P. P.

STETINI, a. d. vi. Id. Martii

Anno clō lōc LXX.



liberas Imperii, aliasq; Germaniæ civitate
rimbergam, Ratisbonam, Salisburgum,
stam Vindelicorum, Ulmam, Tübingam.
Hac quidem potissimum in civitate, & Ac
tissima, statum Reip. & quæ præterea di
servatu, alterum in annum ibi subsistens
vit. Vixit enim cum celeberrimis ibi v
JACOBO SPENERO, SS. Theol. D. hodie p
no-Francofurtani Seniore, Dn. JOHAN
mite Palat. Cæsar. Cod. & Jur. Feud. Pro
HENRICO BOECLERO, Histor. Prof. Pub
Elect. Mogunt. Consiliario, pluribusq;
ditione suos profectus studiosa ibidem ju
tur. Argentina vero relicta, cum beat
tate Parentum ac Tutorum, per Ducatu
Galliam profectus est, cujus urbes præ
Aureliam, vidit, lingvæ Gallicæ, cujus ar
fuerat, idioma rectius percepturus. Pe
pus beate defunctum insignis calamitas.
lia Lutetiam ambo fratres comneasent,
J. U. C. ardenti febre correptus ex hac vi
topere alter superstes, amantissimo, fide
neris, studiorumq; socio atqve comite a
mature distracto, sit afflicto, judicari fac
tamen ipse sibi dolorem, veros primum
tes sectatus, tum, quando beati fratris
usitato pie condi curavit. Parentes, ali
mo funere cognito, hunc ad levandam
domum revocarunt. Parisiis igitur per
Argentinam, inde, Francofurto ad Mœn
lonia, aliisq; urbibus perlustratis, in Ba
ejusq; præcipuum emporium Amsteloda



ias, No
t, Augu
ratum.
s floren
atur ob
annota
PHILIPPO
ist. Mæ
N, Co
OHANNE
Majest. &
um eru
ere niti
e volun
giæ in
etiam &
studiosus
noc tem
m Aure
ODORUS
Quant
atre, iti
o, tamq;
Leniit
um fon
re isthic
cerbisfi
em ad se
m rediit
tia, Co
ontulit,
t; unde
in